DE

MORBIS PROTOPATHICIS QUAEDAM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XV. M. DECEMBRIS A. MDCCCXLVIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

RICHARDUS NAGEL
MARCHUS.

OPPONENTIBUS:

H. KOPPE, med. et chir. Dr., med. pract.
H. FISCHER, philolog. Dr.
H. GRUBE, med. et chir. Dr.

BEROLINI,
TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

FRATRI CARISSIMO

CAROLO NAGEL,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI,

MEDICO PRACTICO,

NEQUE MINUS

FRATRI CARISSIMO

ARMINIO NAGEL,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI,

MEDICO PRACTICO

HASCE

LITTERARUM SUARUM

PRIMITIAS

IN

MEMORIAM SEMPITERNAM

OFFERT

AUCTOR.

Sectio prima.

DE CAUSSIS MORBOS EFFICIENTIBUS GENERATIM.

§. 1.

Corpus humanum a natura ita est constitutum, ut (in continua conjunctione cum rebus externis) sui conservandi caussa et novas materias foris illatas in usum suum convertat et vetustas abolitas omni tempore ex sese exterminet et rebus externis reddat. Quodsi legibus naturae sapientissimis nitentes fingimus, corpus nostrum a partu usque ad mortem integritate perpetua et inviolata uti necesse esse, si non in id res externae vim exsererent, (eodem modo, quo aqua, ut exemplum offeram, omni tempore in uno aggregationis statu, aut in statu densitatis aut liquiditatis aut aëriformi, futura esset, si calor et frigus in eam vim non haberent): necessario sequitur omnium quicunque in corpore nostro exoriuntur morborum exordia repetenda esse a rebus externis, quae damnum ei attulerint. Quare scientiae medicae erit, primum ea, quibus conjuncti simus cum rebus externis, organa cognoscere, deinde, quomodo sit nobis vivendum, experiri, ne quid detrimenti vel ex quantitate vel qualitate rerum externarum capiamus.

§. 2.

Jam vero functiones corporis humani in quatuor partes dividuntur; primum in functiones vegetativas seu organicas seu reproductivas, quae intussusceptioni, assimilationi, dissimilationi et excretioni praesunt; deinde in functiones animales, quae sensibilitatem et motilitatem amplectuntur; tum in functiones animi, cui, tanquam flori organismi humani, mens ratio atque voluntas tribuendae sunt; denique in functiones sexuales, quibus singulorum individuorum vita non per se, sed nihil uisi generis propagatio efficitur.

§. 3.

Considerantes autem illas quatuor functiones corpori nostro insitas earumque vim et efficacitatem nos fugere non poterit, omnium maxime organa reproductionis quoque tempore incitamentis et terrae et totius mundi exposita esse, ex eorundemque organorum functionibus perturbatis morborum plurimorum origines esse repetendas. Quae res ut eo evidentius appareat, illud non est praetermittendum, quod interrogamus, quot morbi sint, quorum caussae primae in ceterarum functionum perturbatione prima exorta sint ponendae.

§. 4.

Quorum numerus quum valde exiguus sit neque minus varietates angustis finibus terminentur, hos paucos morbos, utut fieri potest, enumerare, ordine et conjunctione quadam usi, operam dabimus.

Jam vero quum in dissertatione id maxime mihi appelen-

dum posuerim, ut eas morborum, quae non plane a nobis perspiciantur et quasi obscuratae sint, caussas in lucem proferam; illas caussas, quae a quoque conspici et intelligi possunt, praetermittere mihi licebit. Largum est et infinitum, verba facere de omnibus laesionibus vel in superficie vel in partibus corporis internis evenientibus, de degenerationibus organicis et mutationibus omnibus, quaè ex illis originem ducunt, quas dignoscere non solum, sed etiam quoad omnino fieri potest, ad statum pristinum reducere haud difficile est negotium. Si, ut exempla nonnulla afferamus, facta vaccinatione exoritur vaccina, si translato in organa genitalia contagio syphilitico ulcus syphiliticum vel catarrhus uretrae syphiliticus, si aëre, qui oxygenio destituitur, hausto irruit suffocatio, si culter corporis partem aliquam laedens vulnus efficit: caussae atque eventus nulla admissa dubitatione ita arcte inter sese cohaerent, ut et homines plane scientiae medicae rudes de istis judicare possint.

§. 5.

Attamen ut redeamus ad morbos illos, quorum caussae primitivae in organis functionum animalium, mentalium, sexualium cernuntur, secundum originem in duas partes dispescuntur, primum qui immodica incitatione vel intentione, deinde qui exercitatione omnino neglecta efficiuntur.

Quorum morborum ordines posteaquam breviter tractati exemplisque nonnullis illustrati sunt: organa reproductionis eorumque morbos primitivos accuratius perscrutari verbisque pluribus scribere, quod praecipue in hoc opusculo nobis propositum est, proxime nostrum erit.

Nervi motorii, qui celerius vel vehementius incitati sunt,

infirmantur et debilitantur, quin etiam vim motoriam plane amittere possunt; nervi sensitivi, ipsis ex caussis aliqua ex parte vel plane quod ad functionibus perduntur. Ut singula exempla praeterea afferamus, radiis lucis, qui oculos tangunt, immodicis videndi facultas imminuitur, vel amittitur; sonitu in aures illato nimio surditas efficitur; nervi olfactorii et gustatorii nimia materiarum acrium vel narcoticarum vi functionibus privantur sive ex parte sive ex toto, atque manus, quae labores asperos ac rusticos administrare solent, callescunt tactumque tenerum et subtilem amittunt.

Quum primum autem cuncti illi nervi non satis sive nullatenus exercitati, itaque haud exculti sunt, debiles eorum functiones manent, cujus rei a musculis auriculae exemplum clarissimum desumi potest, qui quidem quum homines plurimi illis nunquam utantur, omni efficacitate destituantur. Qua ex re quamvis id appareat, nos nisi injuriis extrinsecus illatis nullo morbo affici posse, tamen, ut integritatem nostram conservemus, nos incitamentis rerum externarum carere non posse, satis inter omnes constat.

Deinde ratio, prout homines eam aut nimis aut minus adhibent, mutatur aut in fatuitatem aut in stupiditatem; voluntatis vis normalis aut in maniam aut abuliam; mens denique aut in exstasin aut melancholiam. — Denique organa sexualia haud scio an, quo modo nimia contentione debiles fiunt, eodem modo nimia abstinentia caussa morborum primariorum prima esse possint. Hic numerus morborum principalium, qui neque frequentibus casibus neque varietatibus multis magni momenti sunt in arte medica exercenda, haud facile novos tales morbos idiopathicos enumerando, ut arbitror, poterit augeri.

§. 6.

Quibus ex rebus quum hoc tantum sequatur, morbos illos protopathicos esse posse, neque vero semper esse protopathicos, operae pretium erit, (quod cum hac re conjunctum est) hoc loco, quid intersit inter caussas morborum praedisponentes et occasionales, dirimere.

Caussae praedisponentes eae appellantur, quae extrinsecus saepe illatae statum corporis normalem paulatim et serius deleant atque pendant, non tamen morbos plane explicatos adducant.

Occasionales autem caussae illae sunt, quarum accessu, vase quasi usque ad margines impleto, morbi qui jam siti sunt in corpore, in lucem proferantur. Ex quibus primae illae caussae, quum majoris sint momenti, majore cura ac diligentia, quam iis vulgo impeditur, erunt spectandae. Etenim medici maximam partem et in diagnosi constituenda et in curandi methodo eligenda minimam industriam collocant. Exempli causa aegrotus quum medicum certiorem fecerit, sive sudore per refrigerationem oppresso sive stomacho per epulas immodicas onerato, in morbum aliquem sese incidisse, ille funditus et radicitus non solum morbi statum praesentem verum etiam exordium satis se perspexisse opinatur. Hoc tempore fatali quam saepe homines admonentur, ne illis, qui alvum normalem in citam commutent, cibis fruantur, quia Cholera morbo affecti supremam diem obire possint! Omnes illi viri, quorum meritis ceteris nullo modo detrectare aliquid velim, in eo peccare mihi videntur, quod nimiam vim caussae, quae fortuito eventum in lucem proferat, occasionali tribuant neque caussas

efficientes in tota vitae ratione percontentur. Quo modo enim potest intelligi, cur post refrigerationem factam alii alvo cita leviter, alii morbis chronicis graviter afficiantur? quomodo, cur alii stomacho onerato corripiantur vomitione, aliis autem febri gastrica, apoplexia cerebri? Forma morborum constituitur non solum causa occasionali, verum etiam statu corporis et constitutione jam antea caussis efficientibus magis minusve commutata. Quae quum ita sint, quamvis eadem causa sit occasionalis, tamen corporum ratione et constitutione maxime vario morbi magnopere inter sese discrepant. Quam rem ita se habere ut magis intelligerem, observationes in meo ipsius corpore feci, quibus sententiam meam confirmavi. Ut exemplum afferam, hoc tempore Cholera morbo maxime periculoso quamquam multis prunis, cucuminibus, cerevisia alba fructus sum, sub divo ventorum afflatui lavandi et natandi causa me exposui, homines Cholera morbo affectos saepissime adii, tamen in Choleram non incidi: quare persuasum habeo, homines morbis gravibus non corripi posse, nisi jam antea caussae efficientes locum morbo idoneum paraverint.

§. 7.

Quum jam demonstrasse mihi videar, functionum animalium mentalium, sexualium organa primitivis morbis non saepe subjecta esse; ad organa reproductionis procedere mihi liceat, quo melius, quanto majori dignitate haec ad totius corporis salutem valeant, intelligamus.

Organa reproductionis sunt tractus intestinalis, pulmones, cutis, quae omnia et materiis intussuscipiendis et excernendis praesunt, dum vasorum systema medium sistit membrum, per

quod quaeque materia aditum habeat. Renes autem non plane omittendi erunt in enumeratione organorum reproductivorum. Sed ut omnia dilucidius perspiciantur atque res semel memoratae ne iterum repetantur, primum de via, quam eae, quae assimilari possunt, materiae ab organis excipientibus usque ad vasa sanguifera sequantur, deinde de ratione, qua materiae inutiles a corpore secernantur, paullo fusius disseramus.

Omnes potiones liquidae, quibus nimiae partes solidae continentur, postquam a vasis ventriculi imbibentibus resorbtae sunt, per vasa lymphatica in circulum sanguinis provehuntur.

Eadem via ac ratione cibi masticati, insalivati solutique stomachi et intestinorum succis per vasa lymphatica in sanguinem transferuntur, quum eae, quae imbibi non possunt, materiae brevissima via, ano, removeantur et excernantur. Aër autem medios per pulmones continuo sanguinem oxygenio recenti imbuit, ita ut quovis spiritu aër in vesiculas pulmonales influens sanguinem venosum intra parietes maxime tenues inclusum tangat atque oxygenio adducto in sanguinem arteriosum mutet. Jam vero ex quibusdam naturae phaenomenis similibusque animalium imperfectorum institutionibus colligi potest, non solum pulmonibus, verum etiam cuti, materias aëriformes recipi. Quam ad rem demonstrandam, experimentum illud physicum aptissimum est, quod docet materias duas liquidas vel aëriformes membrana organica divisas, invicem magis magisque misceri et aequibilitatem parare, dummodo materiae haud nimis, ut aqua et oleum, inter se discrepent.

Multis inferiorum ordinum animalibus, quum pulmones omnino desint, hoc damnum corporis superficie com-

pensatur. Hominis autem cutem non solum excretioni verum etiam imbibitioni praeesse, jam ex eo, quod sitis adhibito balneo sedatur et exstinguitur, dilucide apparet.

§. 8.

Jam vero materiae si iisdem, quibus suscipiuntur, organis secernuntur, tamen non praetermittendum est illud, quod per anum et urethram materiae recipiuntur nullae, sed tantum removentur. Pulmones vero cutemque evaporatione continua inutiles materias exspirare, sine ullo negotio experimentis simplicibus intelligi potest: sed cutem organum excretorium esse maximi momenti, minus perspicue patebit. Quod ita esse, tum concludi jam potest ex iis morbis, qui cutis secretionem suppressam prosequuntur, tum clarissimum nobis redditur illo experimento, quo intelligimus, quanti momenti gravitatisque sit cutis evaporatio. Quod experimentum primo Sanctorius fecit, quippe qui per triginta annos, quidquid ciborum potuumque edebat aut bibebat atque quidquid faecum et urinae e corpore dimittebat, summa cum assiduitate et industria quotidie adnotaverit. Rerum ex ano et vesica excretarum quum pondus a cibis omnibus intussusceptis subtraxisset, sola cute majorem partem quam renibus et intestino recto eliminari intellexit.

§. 9.

Jam perspectis expositisque reproductionis viis ac ratione, restat, ut quae organa propter continuum contactum cum iis, quaecunque in illa vim exserunt, materiis, maxime morbis protopathicis afficiantur, investigando cognoscatur.

Quin systema uropoëticum et systema vasorum in parti-

bus corporis internis expansum morbis primitivis expositum sit, vix fieri non potest, quoniam aliis corporis partibus circumvoluta et exclusa omnino per se subsistunt.

Item pulmones, quamquam omni momento tanguntur aëre et materiis alienis in illo forsitan suspensis atque maximae dignitatis sunt, non solum in inhalatione, sed etiam in exhalatione: tamen morbis protopathicis haud multis et diversis mihi expositi esse videntur, ita ut vel aër oxygenio non praeditus sive venenatus, vel corpora aliena aëri admixta, velut farina, pulvis, pulmonibus damnum afferant. Neque nobis illud praetermittendum est, quod aëris calore subito mutato, et respiratione nimis intenta pulmones inflammari vel debilitari possunt.

Affectiones autem pulmonum catarrhales et pituitosae huic generi morborum, quod equidem existimare debeo, nullo modo sunt adnumerandae, sed ex eo repetendae, quod eae, quae jam in corpore insunt, materiae peccantes cute refrigerata ab exitu prohibeantur, quo facto membranas pulmonum pituitarias petunt, laedunt, debilitant.

§. 10.

Ex iis, quae supra memoravimus, perspicuum est, cutem et intestinum prae caeteris omnibus ea organa esse, quibus, quod morbi et originem et curam attinet, summa diligentia sit impendenda. Quae ita esse, fusius demonstrare conaturi sumus.

Maximo autem dolore afficimur, quod vitae ratio omnium humanitate excultorum populorum a natura tam aliena est, ut vix, qui integra valetudine fruatur, invenias. Namque sive

nutritione, sive vestitu, sive deficiente motu idoneo, sive etiam haereditate hominum corpora talia evaserunt, ut morbus simplex vix reperiatur, itaque quisque fere deuteropathicus sit appellandus. Sed tamen haec res non ejusmodi est, ut perscrutationes hae omnino inutiles et inanes videri possint. Quum enim humani organismi structura tam artificiosa et composita sit, ut unum organum, aliis nonnullis vel omnibus omnino integris morbo vix corripi possit: maximo lucro nobis erit, si haec res tam obscura aliqua ex parte illustrari possit atque constitui in nonnullis casibus, quod organum protopathicum quaeque deuteropathica sint.

Sectio secunda.

DE CAUSSIS MORBOS EFFICIENTIBUS SPECIATIM.

§. 11.

Quum in prima sectione hujus opusculi tum de organis vitae animalis, mentalis et sexualis disputaverimus, nec non morborum principalium, qui iis supervenire possunt, genera commemoraverimus, tum in universum de organis reproductivis locuti simus: omnibus his rebus jam satis comprobatum mihi esse videtur, ex omnibus corporis humani functionibus eas, quae tractui intestinali cutique tribuuntur, saepissime diversis modis a secunda valetudine aberrare atque ita efficere posse, ut morbi, quos dicimus, deuteropathici oriantur. Quod recte excogitatum esse magis apparebit, si in hac altera dissertationis parte accuratius de organis cutis atque intestinorum quaestiones instituerimus.

Medicos practicos non rarius in eo peccare persuasum habemus, quod de statu illorum organorum sese non satis certiores reddant, quam in eo, quod secundum morbi statum exploratum non methodum curandi aptissimam eligant. Quamquam medendi methodum symptomaticam seu palliativam plu-

ribus in casibus utilitatem afferre, quin etiam nonnunquam necessariam esse, libenter concedimus: tamen methodum morbos sanandi radicalem omnibus aliis anteponendam semperque appetendam esse, negari non poterit.

Quum, si organismi nostri functiones morbo affectae sunt, caussas hujus rei aut in materiis male digestis aut in rebus, quae non apte in corpore nostro inter se connectuntur, deprehendamus: medicus hoc potissimum assequi studebit, ut, si radicalem curationem instituere vult, aut materiarum errantium, ut ita dicam, harmoniam restituat, aut, quae in corpore insunt, materias peccantes ejiciat, sublevans omnem processum cum intussusceptionis et assimilationis, tum dissimilationis et excretionis. Quam ob caussam magni et prudentes medici omnis aevi summa cum diligentia excretorum qualitatem in morbis mutatam consideraverunt, et historiam medicinae perlustrantes non fugiet, doctrinam de crisibus semper diligentissime tractatam esse. Si, quales sint mutationes, quas morbis subierint telae et humores organici, tum oculorum inspectione, tum instrumentis chemicis et microscopicis accurate pervestigamus, viam rectam habemus, quam ingredientes ad firmam medendi rationem pervenire possumus. In quo tamen semper hoc tenere debemus, excreta cutis et intestinorum prae caeteris omnibus diligenter respicienda esse.

§. 12.

Tractus intestinalis quum quotidie cibis potibusque intussusceptis tangatur, ob hanc ipsam caussam plurimis diversissimisque injuriis semper expositus est. Materiae enim intussusceptae aut qualitate aut quantitate ei nocere possunt.

Maxime dolendum est, quod oculis nostris intestina inspicere non possumus, et quod, si ea cognoscere volumus, e symptomatibus morbi tantummodo externis et excretorum qualitate, quae a recto, tractus intestinalis extrema parte eduntur, judicare licet, quae intus sint morbi caussae.

Sed ut ad morbos protopathicos ipsos in tractu intestinali positos transeamus, hi dividi possunt in classes quatuor. Prima classis eos amplectitur, qui e sensibilitate nimis aucta originem ducunt, quem statum hyperaesthesiam vocamus. Alteri classi autem accensendi sunt omnes morbi, qui oriuntur ex sensibilitate aut imminuta aut plane deleta.

§. 13.

Torpor ille in ventriculo et intestinis raro fines sensorii transgreditur, cumque tantum e vitiis aliarum, quae inde pendent, functionum cognoscere possumus: ex anorexia seu dysorexia, e functionibus secretoriis et excretoriis alienatis et turbatis, atque ex aliis multis signis morbosis, quae hinc inde corpori toti impraegnantur. Rarissime hic status sine vitiis systematis illarum partium muscularis nobis occurrit, quoniam in hoc ipso quoque torporem talem efficit.

Cujus affectionis caussas proximas sitas esse in nutrimentis aut qualitate aut quantitate nocentibus, atque in abdomine ipso vitiisque viscerum organicis haerere, haud difficile est intellectu. Morbi autem hi protopathici et deuteropathici, qui finibus plane circumscriptis non possunt sejungi, plerumque sunt digestio et assimilatio turbata, obstructiones alvi earumque sequelae, saburrarum collectio et vermium, nutritio imminuta, macies universalis, hydrops aliaque multa vitia, quorum

seriem mors ipsa claudit. Quem torporem tractus intestinalis si tollere volumus, eo consilio, quo facilius omnes ab eo pendentes morbi exstinguantur: maximam curam ac diligentiam in eo ponendam esse, ut per omnes secretionum et excretionum vias removeamus materias peccantes, jam antea satis demonstravimus. Quod si negligimus, directe in illum agere conati, raro eventus curandi rationis desideriis nostris satisfaciet.

§. 14.

Paralysis intestinorum non bene cogitari poterit ut morbus idiopathicus, quia hunc statum vix opinari possum sine eadem totius corporis vel principum ejus organorum affectione obvenire posse. Neque aliud, ut equidem puto, morbi exemplum afferri potest, quam diarrhoea illa paralytica, qualis in typho praecipue aliisque in morbis imminente morte nobis occurrit.

§. 15.

Neque vero tertius sensibilitatis status morbosus praetermittendus est, dico paraesthesiam.

Quamquam permulti vomitum aliosque ejusmodi morbos in hoc sensibilitatis vitio posuerunt, quum eos a nervorum gastricorum alienatione ducerent, satis tamen constare mihi videtur, a quantitate sensibilitatis plus minusve peccante illos pendere. Idiopathicae quidem hujus alienationis nervorum gastricorum quum exempla sint nulla: huic rei satisfecisse mihi videor, si phaenomena jure huc referenda lectori in memoriam revoco, Picam et Malaciam.

§. 16.

Ad classem tertiam et quartam omnes affectiones intestinorum irritabiles sunt numerandae. Irritabilitas enim est aut aucta, qui status hypersthenia, aut minuta, qui status asthenia vocatur.

Occurrunt igitur hoc loco nobis morbi aut sthenici aut asthenici. Quemadmodum ad illos numerandae sunt omnes inflammationes, dysenteriae, ita his interpono omnes diarrhoeas simplices vel complicatas, ut fluxum hepaticum, fluxum coeliacum, lienteriam.

Sed asthenia indirecta seu torpida plurima procreat mala. et ille quidem etiam vel protopathica in ventriculo et intestinis oriuntur, vel deuteropathica ex aliis in abdomine positis morbosis conditionibus, quae rursus ex illa proficiscuntur.

Hae primo sunt magnae illae digestionis et assimilationis turbationes: status saburralis, pituitosus, verminosus, obstructiones habituales, secretiones omnino perversae vel deletae, quae ex torpore illo ventriculi et tractus intestinalis oriuntur: sunt haemorrhoides denique, quae ei quandoque originem debent.

Affectiones primae sunt, quae recta via e torpore illo progrediuntur: quantus autem est earum numerus, quae ex his rursus proveniunt, et debilitatem illam, ut caussam remotiorem, agnoscunt? Atrophia, macies et debilitas summa totius corporis, sanguificatio prava, blennorrhoeae universales, vermium effectus varii, obstructionum sequelae notissimae, hydropes aliaque mala plurima exinde originem ducunt Quarum omnium affectionum cura radicalis antea astheniam hanc torpidam vincere debet, quam sequelae exstingui possunt.

§. 17.

Neque vero minorem vim, quam tractus intestinalis, habet cutis, ut integra valetudine corpus humanum utatur. Intestina quamquam maxime intussusceptioni materiarum praesunt, et haud parvi momenti in functione secretoria sunt: cutis tamen praecipue vim habet excretoriam, quod jam supra experimentis enarratis comprobavimus. Verum tamen non solum quod materias usu jam consumtas antea dilutas secernat atque hoc modo corpus humanum a materiis noxiis liberet, cutis permultum ad sanitatem nostram confert, praetereaque ea fungitur provincia, ut quam maxime calor qui in nobis nascitur, semper unum eundemque gradum servet neque subito longe modum excedat debitum vel infra eum detrudatur. Quodsi jam legibus naturae comprobatum est, corpora liquida omnia eo, quod e statu liquido in statum aëriformem transeant, caloris aliquid semper secum auferre: hoc idem ex eo perspicitur, quod ipsi nos cutis evaporatione valde aucta afficiamur sensu frigoris. Sed ne fines dissertationis excedamus, pluribus verbis exponere non licebit, quo modo quibusque ex caussis cutis evaporatio, aëris densitate vel tranquillitate vel temperie vel puritate commutata, ipsa necessario commutetur.

Cutis transpiratio si impedita est, eae materiae, quas corpus hac excretione ejicere debebat, ad alia systemata transeunt morbique nascuntur diversissimi: aut affectiones rheumaticae aut hydropicae aut catarrhales, prout systema musculare aut serosum aut membranae mucosae congestione sanguinis tentantur. Sed fieri etiam potest, ut materiae peccantes cutem ipsam tangant et afficiant in eaque exanthemata diversissima

provocent. Cutis morbosae affectiones dividi possunt in eas quae nascuntur ex evaporatione suppressa inque eas, quae ex evaporatione nimis aucta oriuntur. Transpirationem nimis auctam deprehendimus, si non solum processus evaporationis physicus rebus externis adjuvatur, sed etiam actio cutis organica nimis aucta vel etiam plane deleta est. Qualis aër esse debeat, ut evaporationem quum maxime adjuvet, jam supra commemoratum est. Verum non solum hae res externae, sed etiam caussae omnes eae, quae sanguinem in cutem propellunt et quae cutis vim tonicam delent, illam, de qua loquimur, cutis evaporationem nimis auctam efficiunt.

Minutam aut plane deletam cutis functionem esse dicimus, quum e contrario res sese objecerint, quae non solum evaporationis processui physico, sed etiam ipsius cutis actioni organicae obficiunt. Hic imprimis loquimur de aëre humido et vaporibus aquaticis impleto, praesertim si idem frigidus, densus atque immotus est. Cutem nimia irritatione vel excitatione rubram atque fervidam omnino non exspirare, satis notum est; hinc etiam explicatur, quod cutis inflammationes late vagantes, veluti exanthemata et combustiones, corrumpant succos aeque diffusos per corpus eoque efficere possint morbosas excretiones antagonisticas organorum cum cute cohaerentium, veluti tunicae intestinorum mucosae, pulmonum, bronchorum, tunicarum serosarum.

Verum etiam qualitas cutis excernentis ejusque excreti contemplanda est. Sudoris densitas tum est aucta, cujus indolis sudor apparet facile cuti inhaerens, glutinosus, spissus, tum nimis imminuta, ita ut ille nimis liquidus et aquosus inveniatur. Si densior est sudor, multas continet materias solidas,

ut gelatinam, albumen aliasque materias comsumtas: e contrario vero si cutis actiones debilitatae sunt, sive remediis diaphoreticis male adhibitis, sive aliis cutis vim tonicam delentibus, si sanguinis qualitas insignis est magna seri abundantia, si porro excretiones aquosae ex aliis organis excretoriis per longius tempus sunt impeditae, sudor eam qualitatem adipiscatur necesse est, quam aquosam vocamus.

Gradus caloris tum auctus esse potest, ob cutis actionem auctam, tum etiam minutus, ob minutam ejusdem organi functionem.

Multo magis discrepat odor sudoris: nam scabies eum talem reddit, qualem lutosum (germanice „modrig") appellamus; luës venera eum dulcedine quadam perfundit: arthriticae affectiones et rheumaticae autem acidum faciunt; in scorbuto denique sudor invenitur putridus atque in affectionibus herpeticis is apparet, qui mucidus (germanice „multrig") dicitur.

§. 18.

Has omnes, quas proposuimus, cutis affectiones si contemplamur, quo modo tum aëre, immunditie, vestibus minus aptis multisque aliis rebus externis, tum materiis jam dudum in corporis partes internas intussusceptis provocentur; si porro in memoriam nobis revocamus, quo modo plurimi morbi ex cutis functionibus suppressis in aliis organis corporis nostri oriri possint: quanti momenti quantaeque dignitatis sit in factitanda arte medica, satis elucere jam nobis videtur. Huc accedit, quod cutis qualitatem ejusque excreta sensibus nostris instrumentisque auxiliaribus percipere et investigare, nec non remediis adhibendis magnopere cutem curare possumus. Qui-

bus omnibus de caussis in exercenda arte medica semper id appetere debemus, ut in omnibus morbis, qualem cutis qualiaque ejus excreta sese praebeant, accuratissime exploremus, et si curationem instituimus, huic potissimum organo magnam vim tribuamus.

Materiarum intussusceptio, assimilatio, dissimilatio et excretio (id quod germanice uno verbo „Stoffwechsel" significamus) maximi momenti est non solum in remediis diaeteticis, sed etiam in therapeuticis eligendis, id quod medicus nullo modo negligere debet.

Quamquam medicum saepe aliis indicationibus medendi satisfacere debere, quam materiarum commutationem adjuvare; (quo enim modo indicatio symptomatica probari poterit, si singula morbi symptomata prae caeteris praevaleant vehementerque incidant, neque eorum origo e causa primitiva cognosci possit; quo modo porro indicationi vitali statim satisfieri necesse est, ne mors, dum aliunde auxilium quaerimus, aegrotum aggrediatur): tamen hoc, quod mihi proposueram, demonstrasse mihi videor, plurimorum morborum originem in cutis tractusque intestinalis alienatione esse sitam, ob eamque caussam semper curam radicalem eo modo petendam esse, ut functiones cutis atque intestinorum alienatas, quantum fieri potest, restituamus, qua re sola, priusquam cogitaverimus, morborum magnus numerus sanabitur.

In opusculo meo haud dubito fore multa, quae neglexerim, neque pauca, quae non satis illustraverim: ultimam praecipue partem me justo brevius pertractasse libenter credo. In animo equidem ab initio habebam, omnia breviter attingere, nec ad specialia descendere: sed quum in prima sectione diutius jam versatus essem, spatium tempusque jubebant, brevius cetera tractari. Qua ex caussa pio animo abs te peto, B. L., ut indulgeas mihi nec severius, quam juvenilis labor patiatur, in me inveharis. Vale!

VITA.

Natus sum ego Richardus Gustavus Nagel, Marchicus, fidei evangelicae addictus, m. Aprili a. MDCCCXXIII, in oppido Pritzwalk, parentibus optimis, quorum patrem morte mihi ereptum jam dudum lugeo. Ineunte pueritia domesticum praeceptorem habui Breithaupt, virum honestissimum et de me maxime meritum. Deinde primis litterarum elementis imbutus per sex annos in gymnasio Neo-Ruppinensi, postquam maturitatis testimonium adeptus sum, tempore h. s. a. XLIV vernali ad universitatem Jenensem me contuli, ubi qua in album facultatis medicae inscriptus Ill. Schleiden de botanice lectiones adii.

Tempore autumnali ejusdem anni Halam petii ibique viros Ill. d'Alton, Steinberg, Volkmann, Erdmann, Burmeister de cuncta hominis anatomia et arte cadavera rite

secandi, de chemia, de anatomia comparata, de logice et psychologia, de zoologia audivi disserentes.

Inde tempore autumnali anni h. s. XLV ad universitatem litterariam Heidelbergensem me contuli, ubi ducibus Ill. viris Henle, Pfeufer, Jolly, Naegele pathologiam et therapiam generalem, pharmacologiam, physicen, artisque obstetritiae prima elementa per annum dimidium tractavi.

Denique tempore anni h. s. XLVI vernali Berolinum petii, ubi me docuerunt physiologiam Ill. Mueller;

zoologiam Ill. Lichtenstein;

mineralogiam Ill. Weiss;

pathologiam et therapiam specialem Ill. Romberg;

chirurgiam generalem et specialem Ill. Juengken;

anatomiam pathologicam Ill. Mueller;

artem obstetriciam Ill. Schmidt.

Eodem tempore annum unum, ut rebus militaribus satisfacerem, chirurgi munere functus sum.

Exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis Ill. Romberg, Juengken, Schoenlein benevole me admiserunt.

Quibus viris omnibus, maxime de me meritis hoc loco ago gratias maximas.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico, atque examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine superatis, fore spero, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. In omnibus morbis crises esse.
2. Bubonem nullum esse primarium.
3. In hysteria et hypochondria diaeteticum regimen therapeutico praeferendum esse.
4. Exstirpatione scirrhum non sanari.
5. Mortem accelerare medico non licet.